



15  
DISSERTATIO PHILOLOGICA.

AD LOCVM

2 THESSAL. II, 1--12.

QVAM

PRAESIDE

1791, 1.  
102  
G. EH. MAASSIO,

DOCT. PHIL.

DIE XVI. SEPT. MDCCLXXXI.

INDE AB HORA X MATVTINA

STIPENDII CAUSA

DEFENDET


AUCTOR

IOACH. IVL. THEOPH. SEGER,

FRIGNITIVS, THEOLOGIAE STUDIOSVS.  
△

HALAE. TYPIS HENDELIANIS.









**P**auli Apostoli locum, qui est in II Epistola ad Thesalonicenses, e difficillimis vnum et ab interpretibus, hic maxime inter se dissentientibus, mirifice esse vexatum, quis ignoret? Minoris Asiae ecclesiarum historia mutilata hanc obscuritatem efficere videtur. Ex hac autem interpretum disensione et loci ipsius obscuritate sine dubio sequitur, vnumquemque pro lubitu adnuere posse sententiae, quam ipse veri simillimam iudicat, ita vt a nullius auctoritate destinetur. Quis enim interpretum modestorum suam huius loci interpretationem

A 2 di-



dixerit vnice rectam ac veram? Ne autem ego tiro immodestiae arrogantiaeque speciem prae me feram, quod locum, in quo multorum iam vel doctissimorum virorum desudavit diligentia, explicandum mihi proposuerim, ingenue fateor, me hic solummodo sequi S. V. KNAPPII nostri sententiam, quam omnium veri simillimam et verbis non minus quam contextui aptissimam ducere diutius dubitare non possum. Hanc exponere pro viribus meis atque defendere in hoc dissertationis specimine conabor: aliorum autem multorum sententias partim spatii causa attingere non possum, partim has fere omnes V. KOPPE excurf. II. in hanc epistolam iam recensuit. Cf. etiam V. NOESSELTII disputatio in totum hunc locum in Opuscul. fascic. II. pag. 256. Ne autem plane aliorum sententias taceam, de duabus vltatissimis pauca solummodo addam.

Multi sunt qui credant, Apostolum hic loqui de pontifice et imperatore Romano. Secundum horum sententiam *ανθραπος της αιμαρτωνος* est pontifex et *ο κατεχων* imperator

Ro-



Romanus. His *αποστασια* est discessus a puriore doctrina christiana. Ecclesia autem Romana hunc locum inuicem interpretatur de ecclesia evangelica. Haec huius loci interpretatio est utilitissima, an iure? nescio. Nam ubi nam gentium temporibus apostolicis vllum adeo signum futuri pontificis Romani imperii atque *αποστασιας*, et quo tandem modo tum pontifex Romanus pertinuit ad Thessalonicos? De tali autem re Paullus loqui videtur, quae omnino ad illos pertineat, forsitan quam illi viuentes adhuc visuri sint. Eventus praeterea oraculo minime respondere videtur cf. V. KOPPEL C.

Alii Paullum de Iudaeorum seditione atque impetu in dominationem Romanam loqui putant. Huic sententiae magis assentirem quam praecedenti, nisi nonnulla, ad locum ipsum proponenda, contra eam facere videantur. Me enim fateor idoneam causam non assequi, cur Paullus, ad Christianos gentiles verba faciens, de homine, motum inter Iudaeos excitaturo, tam diligenter disputaverit.

A 3

Quid



Quid? Qui huic sententiae adhaerent, voces v. 4. ita accipere coguntur, ut nesciam, an non omnis tollatur usus loquendi, quod nempe concedere non possunt, tribui subiecto defectionem a Deo s. a religione Christiana.

V. KOPPE statuit l. c. hic adesse impietatis descriptionem ex loco Danielis XI, 36. repetitam. Est quidem omnino impietatis descriptio et Paullum ad hunc Prophetam illius locum citatum respexisse dubio fere caret. Attamen non meram in genere impietatis descriptionem Apostolus Thessalonicensibus praebere velle videtur. Patet nempe ex loco ipso attente perlecto Paullum hic loqui de re:

- a) quae accurate ad ecclesiam, ad quam litteras mitteret, pertineat, (id quod mihi in genere proprietatis epistolae cuiuslibet fere necessaria esse videtur,)
- b) quam rem ipsi viuentes adhuc visuri sint.

Denotare igitur Apostolus videtur verbis istis: *ανθρωπος της αμαρτιας, υιος της αππολειας*



*Δεικός, οὐκ ἄλλος ἢ τῶν ἑταίρων* etc. hominem seditiosum vel impostorem vel falsum doctorem iudaizantem in ipsa Thessalonicensium ecclesia versantem, qui inimicissimus Apostoli et verae religionis christianae novis rebus studeret, aperte publiceque agere nondum conaretur, vsque dum Paulus adhuc versaretur inter viuos. Metuere autem omnino debebat Apostoli auctoritatem et ecclesiae in eum amorem. Ipse Apostolus ab his impostoribus eorumque improbo coetu maxime erat offensus atque vexatus et ab iisdem non solum ex hac ipsa ecclesia sed ex vrbe etiam Berea erat fugatus. Quum igitur hi Apostoli aduersarii ipsum impedirent, quo minus pro lubitu atque flagrante suo desiderio religionem christianam propagaret; quum ederent oracula falsa et commentitios sermones atque epistolas sub Apostoli nomine circumferrent: iure meritoque Paulus eos castigat improbosque increpat grauiissimasque Dei poenas minatur. Poenis enim propositis sine dubio efficere vult, vt ecclesiae ciues ab hac improborum societate abhorreant,

v. 8-12.

A 4

Ca-



3

---

Caeterum Apostoli, vt in hoc nostro loco  
Paullus, nunquam tempus aduentus Christi ad  
iudicium extremum accurrate definiunt; nihil  
amplius de hoc tempore se scire profitentur nisi  
hoc vnum: variam antea errorum scelerumque  
contagionem atque calamitatum pestem esse  
metuendam, dum ad Christi sermones respec-  
re videntur. Vnde demum concludunt, non  
adeo propinquum illum diem futurum, quam  
multi sperent.

Errare videntur, qui hunc Apostoli locum  
cum rerum in ecclesia christiana gestarum euen-  
tu comparare, atque ex hoc illum vel plane  
interpretari vel saltem quodammodo illustrare  
voluerunt. Rarissimae enim et mutilatae solum-  
modo exstant illarum ecclesiarum notitiae.  
Constat autem multos post Apostolorum obi-  
tum existisse in illis regionibus falsos docto-  
res qui christianorum coetus et religionem tur-  
bare consueuerant. Reliqua, quae huc per-  
tinent, in singulis explicandis proferam.

---

CAPVT



## CAPVT II.

v. 1. 2. *ερωτῶμεν - ἡ ἡμέρα τῆς Χρῆ-  
 σῆς*) „Rogamus autem vos, fratres, de adven-  
 tu domini nostri Iesu Christi, ne subito dimo-  
 ueamini de sententia vestra, aut perterreamini  
 vel oraculo vel sermone vel epistola, tanquam  
 nostra, quasi iam immineat dies Iesu Christi.“  
*Παρθσία*, praesentia siue aduentus Christi so-  
 lennis. ad regnum inaugurandum, siue ad iu-  
 dicium extremum. *Παρθσία Χρῆστῆ* significat  
 saepe euerfionem Hierosolymorum, quae in  
 N. T. semper Christo tribuitur. Hic autem  
 ex contextu constat, sermonem esse de adven-  
 tu Christi ad iudicium extremum. De hac  
 enim re magna erat dissensio inter Thessaloni-  
 censes, et Apostolus iam de ea erat locutus  
 1 Thess. IV, 13. sqq. Haec *παρθσίας* notio  
 patet etiam e voce *ἐπισυναγωγή*, congregatio  
 nestra ad Christum siue introductio in vitae  
 aeternae beatitatem. *ἐπ' αὐτον* i. e. *προς αὐ-  
 τον* cf. Luc. X, 9. *eis το μη* i. e. *τῆ μη*. *ερω-  
 τῶμεν ὑμῶς τῆ μη σαλευεσθαι*, a *σαλος* salum,  
 vnda maris, vnde dicitur *ναος σαλευεσθαι*  
 quum fluctibus agitur. Vnitatissimum deinde

A 5

est



est de animi agitatione seu turbationibus mentis. *σαλευσθαι* itaque est turbari, terreferi, praecipue si coniungitur cum vocibus *απο υοος*. Latini dicunt, de statu mentis deturbari aut animo cadere (*nublos gemacht werden*). Possunt autem haec verba alio etiam modo sumi: *υος* est sententia, *απο υοος σαλ*: esset itaque sententiam mutare. Paullus nempe miratur, cur Thessalonicenses subito sententiam suam de aduentu Christi mutauerint, quum scilicet illi hanc rem iam ab eo edocti essent in prima Epistola et sine dubio etiam quum inter illos versaretur. (v. 5.) *θρειασθαι* turbari, terreferi. Quaeritur, cur Thessalonicenses turbati fuerint per instantem domini diem. Causae huius timoris sunt obscurae. Fortassis tremebant, quoniam quoduis inopinatum solenne ac repentinum timorem inicit quamquam laetam affulgeat. Forsitan autem falli doctores illis persuaserant, diem domini proxime instare. Quum autem viderent Thessalonicenses spem suam in hac re frustrari, omnem hanc sententiam reiicientes, terrefacti timebant, ne forsitan nunquam Christus in terram sit rediturus.

Paul-



Paulus respondet: rediturus quidem est, sed tempus illud nondum imminet. *Προφητεία* saepius est quoduis oraculum siue vaticinium s. vere illud a Deo sit s. tale esse dicatur. 1 Cor. XII, 10. 1 Ioh. IV, 1-3. Alii subintelligi volunt oraculum, (seu Christi seu Danielis s. ipsius Pauli) falso a Thessalonicensibus intellectum. Quoniam autem sermo est de commentitiis sermonibus atque epistolis, falsa oracula ab impostoribus edita intelligenda esse videntur. Alii nempe iactabant, se doctrinam illam falsam, quam docebant, coram ab Apostolo accepisse; alii autem circumferrebant epistolas nomen Pauli mentientes, quod etiam apparet ex loco v. 15. Quamquam enim particulam *ὡς* (*ὡς ἡμῶν*) negandi aut dubitandi vim hic non habere alii velint, laudantes locum 2 Cor. V, 19.: contrarium tamen ex verbis ipsis elucere videtur, sicut praecipue ex loco 2 Theff. III, 17., ita, vt Apostolus non de male intellectis oraculis aut sermonibus aut epistolis loquatur sed de falsis ac suppositis.



v. 3. μη τις υμους etc.) supple: ερωτη  
 φυλαττεσθε. „Nemo vos villo modo fallat.“  
 Male hic versus cohaereret cum antecedenti si  
 Apostolus illic locutus non fuisset de falsis ora-  
 culis et commentitiis epistolis sermonibusque.  
 οτι.) Apostopesis, et subintelligendum est  
 μη παραγενεται η τε Χριστῃ ημερα siue aliud  
 simile. Longior nempe descriptio hominis per-  
 ditissimi fecit, vt Apostolus constructione in-  
 choata excideret. αποστασια ex vsu linguao  
 hearaicae est quoduis vitium. Hic autem ex  
 contextu patet, denotari improbitatem contra  
 Deum, defectionem a Deo siue religione chri-  
 stiana, cf. v. 4., vbi summa in Deum impie-  
 tas describitur. αποκαλυπτεσθαι, publice se  
 producere, publice agere. ανθρωπος της  
 αμαρτιας, (d. Fretler) scelestissimus ille.  
 Est formula hebraica plane respondens  
 graecae: παρανομος, ανομος, αμαρτολος.  
 Eius plane synonymum est υιος της απο-  
 λειας. Ex linguae enim hebraicae genio, for-  
 mula, filius vitii eiusdam, significat verfatissi-  
 mum in hoc vitio, siue hominem perditissimum.  
 αμαρτια dicitur de quouis scelere, de seditione  
 ne



ne etiam vt Hebr. XII, 3. X, 26. et alibi. Constare igitur videtur Paullum hic loqui de defectione a Deo vero, siue a religione christiana. An autem Paullus vnum seu singulum hominem an plures his verbis denotare voluerit, ex verbis ipsis intelligi nequit. Collectiue enim forsitan loquitur vt Ioannes I epist. II, 18. qui ipse *τοῦ ἀντιχριστοῦ* de multis Christi aduersariis interpretatur. Caeterum in his mere hebraicis formulis, maxime in priore *ἀνθρώπου τῆς ἀμαρτίας*, qua nusquam alibi Apostolus vitur, iam veteris oraculi vestigium non est praetermittendum. Ex v. 4. autem mirifice patet Paullum respexisse ad Danielis Cap. XI, 36. Inde repetit impietatis descriptionem eamque ad prodigia aduentum Messiae praegressura accommodat. Multi Paullum ad recens inter Iudaeos notum oraculum respexisse putant, sed sine rationibus satis probatis. Accommodare itaque Apostolus videtur verba notionesque, quibus Propheta de Antiochi Epiphaniis regis impietate in Deum vitur ad impostorum quos increpat irreligiositatem.



v. 4. ὁ ἀντικειμενος καὶ ὑπεραιρομενος  
 simul pertinere videtur ad ἐπι πάντα θεοῖς  
 ἀντικειμαι et ὑπεραιρομαι est se effiare, se ef-  
 ferre contra aliquem. ἐπι πάντα λεγομενος  
 θεοῖς καὶ σεβασμα non κατὰ ῥηθρον sed fecun-  
 dum sensum accipio, i. e. in genere contra Deum.  
 Sensus singulorum verborum repetitus est ex  
 Dan. 1. c., vbi Antiochus rex describitur impi-  
 pius tum in suae gentis Deos tum in Iehouam  
 ipsum. ἐπι πάντα λεγ. θεοῖς est itaque contra  
 Deum et eius instituta. σεβασμα quodcumque  
 ad cultum diuinum pertinet e. g. templa, arae  
 Deorum statuae Act. XVII, 23. ἐπι contra, ad-  
 uersus Matth. X, 21. Marc. III, 24. ὡς ἐν  
 τον-στι ἐστὶ θεος.) Sensus loci esse videtur  
 apud Dan., nefanda verba loqui contra Deum  
 summum aut velle vt sua instituta sermonesque  
 pro Dei oraculis habeantur. Est enim oratio  
 poetica et symbolica. Sensus loci totius ita-  
 que est: Perditissimus ille se Deo obedientem  
 non praebet sed eius instituta destruerē cona-  
 tur; nimirum perditissimus ille, qui feditio-  
 nem facit effertque sese contra omnem, qui  
 Deus dicitur et venerabilis, (Dei omnisque  
 cul-

cultus  
 Dei a  
 praeb

V  
 in me  
 copio  
 Forsit  
 ne ma  
 bitatis  
 Nam  
 verfar  
 bitare

qui fo  
 pat p  
 dem  
 lino d  
 homin  
 tudin  
 propt  
 vsque  
 cile r  
 cul-



cultus dñi superbus contemtor) ita vt instar  
Dei audeat in templo considere atque se ipsum  
praebere Deum.

v. 5. Iam Paullus Thessalonicensibus  
in memoriam reuocat, se quondam hac de re  
copiosius clariusque cum illis esse collocutum.  
Forſitan Apoſt. hic luculentius loqui non vult,  
ne malum reddat peius, ne ſeditionis impro-  
bitatisque ſcintillam magis magisque ſuggerat.  
Nam impoſtores ipſos, inter Thessalonicenſes  
verſantes, hanc epiſtolam legiſſe minime du-  
bitarem cf. v. 8 - 12.

v. 6. *Kai vny to karexon oidate:* „at-  
qui ſcitis quid illum impediatur quo minus erum-  
pat publiceque ſe oſtendat.“ *Karexon* hic qui-  
dem eſt neutrum, ſtatim autem v. 7. in maſcu-  
lino dicitur *o karexon*. Facile igitur apparet  
hominem ſubintelligi, et minime a veri ſimili-  
tudine abhorret, hunc eſſe Paullum ipſum, qui  
propter auctoritatem atque eccleſiae amorem,  
vsque dum viueret, molimina illa publica fa-  
cile retinere potuit. *sy to eauts naiga* tempus  
ſtu-



studiis suis idoneum. Paulus modestiae causa semet ipsum non nominat, non dicit, per sua studia repressum iri seditionem illam contra religionem christianam. Caeterum facile conicere potuit, se extincto nullum esse adfuturum, qui hanc irreligiositatem supprimat.

v. 7. το γὰρ μυστηριον etc. μυστηριον της ανομιας ενεργηται i. e. ανομια ενεργη. εν μυστηριω, per hebraismum notum. „Occulto iam serpit seditio vsque dum, qui cohibet e medio fit sublatus.“ μυστηριον simpliciter in h. l. est quidquid alios latet Rom. XVI, 25., adiuncta tamen nonnunquam inauditae turpitudinis notione. ανομια est synonymum της ανομοσυβιας v. 3. ενεργηται perpetuo apud Paulum active dicitur, agere, operari cf. 2 Cor. I. 6. Ephes. III, 20. Rom. VII, 5. 2 Cor. IV, 12. εν μεσε γινεσθαι, e medio tolli: significatio ystissima est mortis violeptae, quam quidem Paulus quoties die ab adversariorum crudelitate metuere debebat vereque metuebat, quod ex pluribus epistolarum locis satis superque constat cf. 1 Cor. XV, 31. Praeterea ex Aposto-  
ipfius



ipſius ſcriptis patet, illum magnopere veritum  
 fuiſſe, ne poſt obitum ſuum impij et flagitioſi  
 homines eccleſias chriſtianorum perturbarent,  
 et ad deſerendam religionem ſollicitarent  
 Phil. I, 23-25. Act. XX, 28-30. Theſſalo-  
 nicenſes autem h. l. breui tantum et ſubob-  
 ſcura eiſdem rei ſignificatione opus habuiſſe  
 videntur, quum rein eandem alio iam tempo-  
 re copioſius et expreſſius edocti eſſent (v. 5.).  
 ἁπορῶν ad εἰς referendum eſt.

v. 8. Καὶ τότε - ὁ ἀνεμῶς „et tunc  
 prodet ſe ſeditioſus ille, ſceleſtiſſimus ille“.  
 ἀνεμῶς eſt idem, qui ſupra ὁ ἀνδροπῶς τῆς  
 ἀμαρτίας dictus eſt. ἐν ὁ κῆριος - τὸ ſωματος ἀν-  
 τὸς). Poſt ὁ κῆριος addunt Ἰησοῦς multi Codd.  
 Verſ. et Patres. Symbolica iterum ſive poëtica  
 deſcriptio potentiae diuinæ ex Vet. Teſt.  
 repetita, et quoniam his verbi vtuntur  
 V. T. Scriptores de Deo Iehoua, Paullum de  
 Deo patre non de filio loqui putarem. Vox  
 παρῶνς praeterea improprie eſt ſumenda et  
 hic ſignificat quod ſaeppiſſime, nempe quandam  
 potentiae diuinæ effectiōnem, ſive noxiam fi-



ne salutarem. Deus enim venisse dicitur, si poenis aliquem afficit, aut e contrario si beneficia confert. Sic veteres non solum loquebantur: sic etiam cogitabant. Quomodo enim Deus, cuius praecipuam sedem in coelo collocabant, agere possit, si non adueniat, comprehendere non poterant. Sunt haec omnino notiones infantiae generis humani. *Επιφανεια της παρῆσιας* est *παρῆσια επιφανης*, aduentus Dei splendulissimus, insignis poenis grauis-  
simis. Per *επιφανειαν* (presentiam Deorum) etiam profani intelligunt saepe potentiam siue vim eorum, facta tremenda siue salutaria. Dyon. Halicarn. A. L. II. 68. *Ἔστη ἐπιφανειαν ἐπεδείξατο τοῖς ἀδικῶς ἐγγληθεῖσιν παρθενοῖς ἀναλίσκειν*, penitus perdere. τῷ πνεύματι τῆ σωματος αὐτῆ, solo afflatu, solo verbo cf. Pl. XXXIII, 6. Ef. XI, 4. Poëtica et symbolica iterum descriptio potentiae diuinae. Ceterum non a verisimilitudine abhorret, Apost. his verbis commonere voluisse impostores, vt ab incepto proposito abstineant.

„Et



„Et tunc prodet se seditiosissimus ille (nihil amplius veritus, ingenio quali vtatur, declarabit) quem dominus penitus perdet vi sua potentissima et e medio tollet quum maiestate insignis adueniet, (quum eum poenis grauis-  
simis afficiet.)“

V. 9. ἔστι ἡ παρρησία - τερατα ψευδῆς)  
„Ille quum aderit, varia miraculorum fraudulentorum genera vi Satanae patrabit.“ ἔ ad τὸν ἀνομιαν IV. 8., non ad proximum subiectum esse referendum nemini non liquet. δυναμις, σημεια et τερατα non anxie sunt distinguenda. δυναμις significat miricula patrandi vim, facpius autem miracula ipsa cf. Math. IV, 23. I Cor. 5. Act. II, 22. ψευδος significat vanitatem miraculorum. ψευδ. pro ψευδῆ, ex hebraismo noto, miracula falsa. ἡ παρρησία αὐτῆ etc. quum aderit patrabit miracula. Κατ' ἐνεργειαν τῆ σατανᾶ, vi Satanae. Quidquid malum, praecipue impedimentum religionis christianae, Satanae operationi tribuitur. Has similesque notiones atque opiniunculas Iudaei ex Babylo-  
nico exilio reportauerant. Exstitisse vero il-



lis temporibus eiusmodi homines, qui miraculis falsis populum a doctrina christiana avertere studerent, confirmat exemplum Elymae praefigiatioris Act. XIII. cf. Eisenm. I, 150.

v. 10. Και εν παση απατη της αδικιας: impiarum fraudum omni genere. απατη artes fraudulentae, siue illa doctrina falsa mixta cum artium magicarum studio. απατη της αδικιας pro απατη αδικιας i. e. ασεβειας, nam αδικια saepissime est ασεβεια. Απειλουμενοι sunt impostorum sectatores, qui ob hanc ipsam causam infelices dicuntur. ανθ' αυ, propterea quod. αληθεια, religio christiana, ut saepissime in N. T. αγοραση της αληθειας δεχεσθαι i. e. την αληθειαν αγοραση, operam dare doctrinae christianaе. εις το σωθηναι αυτες, qua seruari potuissent,

„Omni quidem impiarum fraudum genere inter infelices sectatores suos utuntur, quoniam non amplexi sunt veritatem qua seruari potuissent.“

v. 11. και δια τωτο etc. „qua propter permittet Deus, ut grauitimis pseudoprophetarum



rum fraudibus decipiantur. *πεμφει*, permit-  
tet, vt tales res eueniant. Sic enim veteres  
loquuntur, vt Deum quasi auctorem mali sta-  
tuant, quum tamen hoc solummodo adesse ob  
causas necessarias *patiatur*. In genere apud  
veteres, siue Iudaeos siue gentiles, Deus im-  
mediate agit, siue in puniendis improbis siue  
in remunerandis bonis. *ενεργειαν πλανης* i.  
e. *πλανην ενεργη*, fraudes speciosas, grauissimas,  
quae sensibus blandiuntur. *ψευδος*: doctrina  
spuria.

v. 12. *ἡτα* est *εμβρατινον*, ita fiet, vt  
omnes etc. *κρηνει* est vocabulum medium et  
h. l. pro *κατα κρηνει* poenis afficere. *αληθειαι*,  
religio christiana cf. v. 10. *αδικια*, impietas  
siue fraus, vt supra. *ευδοκω* idem quod *αγα-  
πην* siue *δεχεσθαι την αγαπην της αληθειας*  
cf. v. 10.

Caeterum his verbis Apost. Thessalonicen-  
ses monere videtur, vt a pseudoprophetarum  
doctrina abstineant, dum grauissimas Dei poe-  
nas *τοis απωλλυμενοις* minatur.

THESES.



THESES.

I.

E rebus externis pulchritudo non nisi eis  
competit, quae oculis auribusue sunt obiectae.

II.

Ars mnemonica non continet regulas uni-  
versales, quarum cognitione memoriam augere  
possis.

III.

Principium, quod audit contradictionis,  
in omni cognitione humana absolute est pri-  
mum, licet sint inter recentiores qui repug-  
nent.

IV.



## IV.

Quaelibet lingua humana idearum affacia-  
tione nititur, tamquam ratione sua remota.

## V.

Quo quisque magis optat aliquam rem, eo  
credit facilius.

## VI.

Mors voluntaria nullo modo potest de-  
fendi.

## VII.

Omnis veritas, quam ratione cognosci-  
mus, est veritas necessaria.









Halle, Diss., 1788-91

ULB Halle

3

001 967 045




Sb.


v. 178











DISSERTATIO PHILOLOGICA.

AD LOCVM

THESSAL. II, I-- 12.

QVAM

PRAESIDE

G. EH. MAASSIO,

DOCT. PHIL.

E XVI. SEPT. MDCCLXXXI.

INDE AB HORA X MATVTINA

STIPENDII CAVSA

DEFENDET

AVCTOR

ACH. IVL. THEOPH. SEGER,

PRIGNITIVS, THEOLOGIAE STUDIOSVS.

HALAE. TYRIS HENDELIANIS.

15

1791, 1.  
100

